



POSITIO I.

Societas inter homines atque cogna- *Ad Lib.*
tio naturâ instituta non aliter, nisi perpe- *V. TIT. I.*
tuâ sinceræ amicitiaë culturâ, utpote statui hosti-
li inimicissima conservari potest. Sed cum
sensum naturalis illius societatis perversus amor sui, malique mo-
res exurdassent, quod conqueritur *Leo Nov. 13. conf. Grot. de*
l. B. & P. L. 2. C. 15. §. 5. & L. 3. C. 9. §. 18. Puffend, Dissert. Acad.
Select. de System. Civ. §. 1. hominumque corrupta indoles ad
discordiam variaq; delicta sponte laberetur *Nov. 5. C. 2. §. 2. ex*
libera voluntate, quâ conditi erant, virtutum & vitiorû probe con-
scii; non vero quasi vitia ipsis ab initio ignota, postea demum
cognita reddita fuissent, ut putat Grot. de l. B. & P. L. 2. C. 2. §. 2.
humano ex legibus opus fuit auxilio secundum Nov. Leon. 51.
insimulque ministris legum magistratibus, qui leges ad effe-
ctum perducerent l. 2. §. 13. ff. de O. J. ac prospicerent, ne infir-
miores â potentioribus opprimerentur l. 6. §. 2. ff. de Off. Pras.
vel illatæ iis injuriæ inultæ transfirent l. 2. C. de Lucr. Advoc.
Zæf. in Comm. ad ff. de Jud. n. 2.

H. Eo vero officio suo magistratus in judiciis fungitur:
judiciorum enim vigor jurisque publici tutela in medio consti-
tuta, ne quisque sibi ipsi permittere valeret ultionem *l. 14. C. de*
Jud. & Cælic. l. 176. de R. l. cum unus quisque nimio adversus se
ipsum ducatur amore; & sic iniquus adversario suo evaderet ju-
dex. Hinc diffidationes veteres Germanorum, & vindictæ il-
lud privatæ studium, quo quisque, quo erat potentior, eo facili-
us sibi ipsi jus dicebat, & nullô observatô judiciorum ordine
injurias ac lites privatas bello & armis explicabat vindicabatq;
quod vernacula lingua audit *befehdung / Faust und Kolben-Recht*

A

oder